

*modromio atate 6 cap. 41 meminit Gobelinus. Verum in antiquissimo codice membraneo Gobelini cap. 41 solum hæc leguntur primariâ manu scripta: Anno imperij Ludewici XXIII translatus est sanctus Liborius de civitate Cenomanica Gallia, in qua quondam ipse fuerat Episcopus, ad Paderborne civitatem Westfalia, Aldrico Cenomanensem & Badurado Paderburnensem regentibus Ecclesias. Et quidam Clericus Paderburnensis Ecclesie, Ido nomine, conscripsit miracula qua vidit in translatione S. Liborij, & habentur scripta in Ecclesia Paderburnensi supradieta. Eo tempore floruit Rabanus poëta Abbas Fuldensis. Ubi nulla fit mentio voti Cenomanis nuncupati: tamen si additiones ad marginem legantur alia manu & caractere longè recentiori scriptæ, quæ deinde à librarijs, aut Meibomio editore in textum seriemq; historiae sunt receptæ: ut hoc uno Bollandi argumento Vita S. Meinulphi supposita Gobelino censeri nequeat; quæ in Bodocensi, Werthinensi, Abdinghoffensi Cœnobijs, & in bibliothecis Cathedrali, Collegij S. J. Paderborn. & Carthusie Coloniensis M Sta extat cum hujusmodi prologo: Dum super flumina Babilonis. Vita verdè sic incipit: Postquam Alexander Philippi Macedo.*

*Cellissimus ac Reverendissimus Princeps Ferdinandus Episcopus Paderbornensis & c. venustissimo epigrammate votivo præcipua Vitæ S. Meinulphi argumenta hunc in modum complexus est.*

De